

Omne autem utile simpliciter tale est honestum, quia utile simpliciter est id, quod conducit ad assecutionem ultimi finis, quod solum honestum & virtuosum prestare potest; secus tamen, si loquamur de utili secundum quid, potest enim aliquid inhonestum esse utile ad aliquem finem particularem.

Dico 4. (Ib. a. 4. o.) Honestas, specialiter sumpta, seu potius amor honestatis specialiter sumptæ, est pars inte-

gralis Temperantiz. Explicatur. (Ib.) Honestas, seu decor potest sumi dupliciter. 1. Generaliter pro cofortitate actus cum iudicio recte rationis, & sic convenit omni virtuti, ut patet ex precedentibus. 2. Specialiter pro eo quod opponitur maxime turpi: & sic est pars integralis Temperantiz; quia ad Temperantiam pertinet repellere id, quod est turpissimum & indecentissimum, scilicet brutales voluptates.

## DISSERTATIO II.

## DE ABSTINENTIA, JEJUNIO ET, GULA.

Div. Thom. QQ. 146. 147. 148.

## ARTICULUS I.

## De Abstinentia.

Dico. (Q. 146. a. 1. & 2. o.) Abstinentia est virtus specialis. Prob. 1. pars (Ibid. a. 1. o.) Abstinentia ex suo nomine importat subtractionem alimentis. Sic præcisè sumpta non est virtus, sed quid indifferens, quod potest bene, vel male fieri: sumpta vero ut regulatur ratione, sicut hic sumimus, est virtus, quia sic sumpta, est, ut dixi prius, pars Temperantiz moderans secundum dictamen rationis concupiscentias & delectationes ciborum, ut non impediant bonum rationis: ergo. Prob. 2. pars. (Ibid. a. 2. o.) Virtus ponitur ad conservandum bonum rationis contra impetum passionum; & ideo, ubi invenitur specialis ratio, qua passio abstrahit a bono rationis, ibi necesse est esse speciale virtutem; atque delectationes ciborum, circa quas versatur abstinentia, nate sunt speciali ratione abstrahere hominem a bono rationis, tum propter earum magnitudinem, tum etiam propter necessitatem ciborum, quibus homo indiget ad conservationem vite, quam maxime desiderat: ergo abstinentia est virtus specialis.

Dices contra 1. partem: moderari alimenta, pertinet ad artem medicinz: ergo. R. D. (Ib. a. 1. ad 2.) Moderari alimenta præcisè propter valetudinem corporis pertinet ad artem medicinz, C. Moderari passiones & delectationes alimentorum propter bonum rationis, pertinet ad artem medicinz, N. Id enim pertinet ad virtutem abstinentiz, quæ proprie respicit refrenationem illecebrarum gulæ, ut convenienter rationi & viro temperato. Quod si talis moderatio, seu refrenatio ad aliud referatur, quam ad propriam honestatem, puta, ad satisfaciendum pro peccatis, erit actus imperatus a penitentia; si ad luxuriz illecebras vincendas, erit castitatis imperantiz; & sic de cæteris.

Hujus virtutis sunt diversi gradus, ut notat hic Sylvius. 1. est abstinere ab omni cibo ad tempus, ut Christus fecit per quadraginta dies: 2. est abstinere à certo genere cibi, v. gr. carnibus semper. 3. ad tempus. 4. abstinere a certo genere potus, ut a vino semper. 5. ad tempus. Adverte etiam, quod, quamvis abstinentia dicatur versari circa cibum, non excludat tamen potum præcisè secundum se, sed tantum potum inebriantem, de illo enim sub hac speciali ratione dumtaxat datur specialis virtus, scilicet sobrietas, ut dicam infra. Unde, qui excederet in potu aquæ, v. gr. lactis, aut cuiusvis alterius liquoris actu non inebriatis, non peccaret contra sobrietatem, sed contra abstinentiam.

Dices 2. contra 1. partem: non datur aliqua specialis virtus ad usum vestimentorum: ergo nec ad usum ciborum. R. Dato Ant. N. Cons. (Ib. a. 2. ad 3.) Disparitas est, quod usum vestimentorum sit ab arte introductus; usus autem ciborum a natura ut quid vite necessarius; cui ideo ipsa natura magnam delectationem annexit.

Si dicas, usum vestimentorum esse etiam homini naturalem: respondeat Cajetanus hic, esse homini naturalem secundum quod est animale & rationale & politicum, non secundum naturam sensitivam nisi inchoative; pro quanto complexio corporis est preparata, ut melius vestimentis conservetur: unde etiam fit quod plures Nationes sine vestimentis incedant.

Dico 1. Jejunium morale est actus virtutis abstinentiz saltem acquisitæ. Quia virtus abstinentiz, ut dixi, est virtus moderans delectationes ciborum secundum dictamen rationis; atque Jejunium morale nihil est aliud, quam abstinentia ciborum moderata secundum dictamen rationis: ergo.

## ARTICULUS II.

## De jejuniis. Q. 147.

## Utrum, &amp; cuius Virtutis sit actus?

Questionem de Jejunio aggressurus, in capite notare velim semel pro semper ex Cajetano hic a 7. §. Ad evidentiam, quod, quia hæc materia est Juris positivum humani, ut infra dicam, sicut consensu utentium firmatur, ita contraria consuetudine, aut dispensatione, seu relaxatione infirmatur & tollitur: & ita accidit, ut, quod prius erat Jus, non sit amplius de Juris necessitate, & quod prius nefas erat, licitum postmodum sit. Ità Eminentiss. Non est itaque, quod miremur plures varietates circa legem Jejunii a temporibus Apostolorum irrepisse, neque uniformiter in omnibus Ecclesiis observari. Unde Auctor hic a. 8. ad 3. loquens de abstinentia ab ovis & lacticiis, dicit: In jejuniis diversa consuetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet secundum morem eorum, inter quos conversatur. 2. Jejunii nomen sumptum est a jejuno, quod est quoddam intestinum animalis semper vacuum, unde significat abstinentiam a cibo & potu. Variè accipitur.

1. Sumitur generaliter pro abstinentia ab omni cibo & potu in stomachum transmissio, sive ab omni eo, quod sumitur per modum cibi & potus, ut est etiam medicamentum, (Q. 147. a. 1. ad 3.) & sic sumptum dicitur Jejunium jejunit, seu Jejunium naturale: tale requiritur a media nocte ad summptionem Eucharistiz; de quo in materia de Eucharistia.

2. Sumitur pro abstinentia cibi & potus secundum regulas communes Temperantiz in ordine ad proprium finem, qui est bona corporis & mentis dispositio ad suas functiones. Hoc jejunium vocatur morale, & Philosophicum.

3. Sumitur pro abstinentia cibi & potus, & majori quidem quam exigit communiter Temperantia secundum proprios fines, sed quam tamen exigit secundum alios fines, ad quos ab aliis virtutibus ordinatur, puta ad satisfactionem pro peccatis, ad refrenationem luxuriz, &c. jejunium, hoc 3. modo sumptum, vel est arbitrarium, cuius varia excipula habemus in vitis Patrum, & etiam in religiose piarum praxi. Vel est lege statutum, scilicet, vel lege particulari aliquis Communis, aut Religionis, vel lege communi totius Ecclesiz, quale est Jejunium, quod dicitur communiter Ecclesiasticum, de quo potissimum hic est questio. 4. Sumitur (Ib. a. 2. ad 1.) Jejunium metaphoricè & improprie pro abstinentia a vitis & peccatis.

Certum est 1. (Ib. a. 1. ad 3.) Jejunium nature quod dicitur Jejunium jejunit, quo quis dicitur jejunus, antequam comedat, cum consistat in pura negatione, non esse actum virtutis. Si tamen consideretur ut privatio cibi, quem quis sumere potuisset, & quo se voluntarie privat in honestum aliquem finem, hoc ipso est Jejunium jejunantis & ex proposito eligentis, proindeque actus virtutis, ut dicam modo. Certum est 2. Jejunium metaphoricum non esse actum unius virtutis, sed vel omnium virtutum, vel saltem charitatis, quatenus omnes virtutes complectitur. His positis,

Dico 1. Jejunium morale est actus virtutis abstinentiz saltem acquisitæ. Quia virtus abstinentiz, ut dixi, est virtus moderans delectationes ciborum secundum dictamen rationis; atque Jejunium morale nihil est aliud, quam abstinentia ciborum moderata secundum dictamen rationis: ergo.

## DE TEMPERANTIA, &amp;c.

Dico 2. (Ib. a. 1. & 2. o.) Jejunium, sumptum pro abstinentia rigidius, quam communiter exigit Temperantia secundum proprios fines, sive sit arbitrarium, sive præceptum, est etiam actus virtutis abstinentiz.

Prob. 1. pars: 1. ex variis utriusque Testamenti, & SS. Patrum locis, quos longa serie refert Bellarminus de bonis operibus l. 2. c. 12. & alibi; in quibus commendatur Jejunium ut opus virtutis. Prob. 2. (Ib. a. 1.) Ex hoc aliquis actus est virtuosus, quod versetur circa objectum bonum cum relatione ad finem honestum; atque hoc convenit Jejunio, de quo in conclusione: ergo. Prob. Min. Hoc Jejunium versatur circa delectationes ciborum reprimendas, & assumitur principaliter ad tria: 1. ad carnis concupiscentias reprimendas: unde Apostolus 2. Cor. 2. in jejuniis, in castitate. Quia per jejunia castitas conservatur: ut enim dicit Hieron. l. 2. contr. Jov. sine Cerere & Baccho friget Venus. 2. Assumitur ad hoc, ut mens liberius elevetur ad sublimitia & divina contemplanda: unde Daniel 10. dicitur, quod post jejunium trium hebdomadarum revelationem accepit a Deo. 3. Assumitur ad satisfaciendum pro peccatis, unde dicitur Joël 2. Convertimini ad me in toto corde vestro in jejuniis, & fletu, & planctu. Et hoc est, quod Aug. dicit in sermone 230. de temp. Jejunium purgat animam, mentem subleat, propriam carnem spiritui subjicit, cor facit contritum & humilatum, concupiscentias nebulas dissipat, libidinum ardores extinguit, Castitatis verum lumen accendit: ergo.

Prob. 2. pars (Ib. a. 2. o.) Omnis actus virtutis, qui est circa aliquam materiam, ad illam virtutem pertinet, quæ medium in illa materia constituit; quia eadem est materia actus & habitus; atque Jejunium attenditur in cibis, in quibus medium constituit abstinentia, ergo. Jejunium est actus abstinentiz, elicitus quidem ab illa, imperatus autem ab illis virtutibus, ad quorum fines ordinatur, puta Castitate, Penitentia, &c. ut dictum est in prioribus probatione.

## Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. contra 1. partem secundæ conclusionis cum Lutheranis & Calvinistis, qui quidem concedunt Jejunium valere ad coerendum carnis perulatum, ad orationem, ad signum penitentiz: negant autem esse actum virtutis, quo quis a Deo mereatur, ipsi satisfaciamus, aut aliquid impetremus: sic ergo arguunt: Omnis actus virtutis est Deo acceptus; atque Jejunium non est Deo acceptum, secundum illud Isaie 68. Quare jejunavimus, & non aspexit? ergo. R. D. Maj. Omnis actus virtutis, nulla prava circumstantia vitiat, est Deo acceptus, C. prava circumstantia vitiat, N. Tale autem erat Jejunium, de quo est sermo apud Isaia. Unde conquerentibus Israelitis: Quare jejunavimus, & non aspexit? R. Dominus: Ecce in die jejunii vestri invenit voluntas vestra: quasi diceret: non bene jejunatis, quia jejunando nimis indulgetis vestris pravis affectibus, Non igitur jejunium reprobat, inquit Hieron. l. 2. Contr. Jov. c. 11. Sed quale velle ostendit. Eodem modo respondendum est istis, quæ proferuntur ex Jerem. 14. & Zach. 7. Ceterum jejunium esse gratum Deo, & apud ipsum valere probant scripturæ in probatione 1. partis, & plures alie.

Obj. 2. Juxta Apost. 1. ad Tim. 4. Corporalis exercitatio ad modicum prodest; atque per corporalem exercitacionem plures antiqui intellexerunt jejunium: unde Ambrosius in hunc locum dicit: Jejunare enim & abstinere a cibis, non multum prodest: ergo. R. 1. Juxta Chrysost. Theodoretum, Theophyl. Oecumenium, & alios, falsam esse hanc Apostoli intelligentiam. Quidam, inquit Chrysost. hom. 12. ad laudata verba, hoc Apostolum de jejunio ajunt dixisse, sed profectò errant; neque enim est corporalis exercitatio jejunium, sed spiritualis. Nam, si corporalis esset, corpus profectò nutrirret: cum autem illud maceret & extenuet, macieque conficiat, corporalis omnino dici non potest. Intelligit ergo Apostolus per corporalem exercitacionem stadium corroborandi corporis more athletarum; familiarè est enim Apostolo sumere similitudinem ab athletis; ut patet ex 1. Cor. 9. v. 24. ad Galat. 5. v. 7. ad Philipp. 3. v. 14. ad Tim. 2. v. 5. & hic. Unde, cum dicit: Exerce te ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est, sensus est: exerce te more boni athletæ ad certamen virtutis, hoc enim verè utile est in hac & altera vita; qui autem exerceat se ad corporalem certamen, parum lucratur in hac vita, nihil in altera. Quæ autem adierunt ex Ambrosio, non sunt Ambrosii, inquit hic Sylvius, neque alterius Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

Scriptoris Catholici, sed alienus Hæretici, quem verisimile est esse quemdam Hilarium Sectæ Luciferianæ. Certum est enim, S. Ambrosium longe aliter sentire de Jejunio, c. 3. ubi dicit: Jejunium refectio animæ... vita est Angelorum, culpe mors... remedium salutis, radix gratiæ... hoc ad Deum gradu citius pervenitur. R. 2. Dato, quosdam veteres Orthodoxos sanè sic intellexisse Apostolum, hujus & illorum sensus non est, quod jejunium nihil, aut parum prosit, sed quod sit minus utile, quam Pietas, quæ ad omnia utilis est.

Obj. 3. Jejunium non servat medium virtutis: ergo. Prob. Ant. Medium virtutis non minus corrumpitur diminuto quam superabundanti; atque jejunium importat diminutum cibi: ergo. R. N. Ant. (Ibid. o. & in 4. d. 15. q. 3. a. 1. questio. 2. ad 1.) Ad Prob. D. Maj. Corruptum diminuto, si diminutum sit contra rationem, C. Secus, N. Et ad hunc sensum D. Min. N. Cons. Itaque medium virtutis non accipitur secundum quantitatem, seu æquidistantiam ab extremis, sed secundum rectam rationem. Ratio autem judicat, quod propter specialem causam aliquis minus sumat de cibo, quam sibi competeret secundum communem statum: v. gr. propter infirmitatem curandam, aut propter alia opera corporalia expeditius agenda, & multo magis propter spiritualia mala vitanda, aut bona prosequenda. Unde contingit, quod id, quod est parum uni, puta sano, sit satis alteri, puta infirmo. (Ibid. in 4.) Insuper sciendum est, quod medium virtutis non consistat in indivisibili, sed habet aliquam latitudinem, intra quam virtus salvatur, etiam si terminus illius latitudinis (quos prætergredi salva virtute non licet) sermone determinari non possint; & ideo, qui dimittit aliquid, quo licet potest uti, non est statim dicendus a virtutis medio recedere.

Obj. 4. contra utramque partem Conclusionis ejusdem. Jejunium, de quo in Conclusionè 2. non solum consistit in abstinentia a superfluis cibis; hoc est enim de necessitate Temperantiz, & sic omnes temperantes jejunantes, quod est falsum; sed consistit in abstinentia a necessariis; atque hoc neque virtuosum est, neque licitum: ergo. Patet 1. pars Min. quia virtus Temperantiz non rejicit necessaria, sed superflua tantum. Patet 2. pars; quia subtrahere sibi necessaria est dare sibi occasionem mortis, quod non est licitum: Non enim differet, inquit Hieron. de consec. d. 5. cap. Non mediocriter, utrum magno, vel parvo tempore te interimas: ergo. R. D. Maj. (Ibid. questio. 2. ad 3. & hic a. 1. ad 3.) Jejunium consistit in abstinentia a necessariis simpliciter, N. A. necessariis secundum quid, C. Et ad hunc sensum D. Min. N. Cons. Explicatur: Necessarium accipitur dupliciter in cibis: 1. Ad conservationem vite, & ad talem valetudinem, quæ sit sufficiens ad ea, quæ incumbunt peragenda sive ex officio, sive ex societate eorum, quibuscumque vivimus, sive etiam ex charitate & propter majorem utilitatem. Et tale necessarium subtrahere per jejunium, neque esse virtuosum, neque licitum. Subtrahere enim, quod est simpliciter necessarium ad vitam, est se interimere. (Hoc tamen necessarium est valde modicum, quia natura paucis contenta est; subtrahere, quod est necessarium ad ea opera, ad quæ quis obligatur, est contra rationem, & juxta Hieronymum loco citato, de rapina hostiam Jejunii offerre. Subtrahere tandem, quod est necessarium ad alia opera utiliora sive charitatis, sive alia, quamvis ex officio non debita, est indiscretum. Unde idem Hieronymus ibid. dicit: Rationalis homo dignitatem amittit, qui jejunium charitati, vel vigiliis integritati sensus præfert.

2. Accipitur necessarium (Ibid.) ad optimam corporis dispositionem. Et quia caro in suo robore consistens difficiliter spiritui subditur; ideo necessarium ad valetudinem sic acceptam, quamvis licet accipi possit, tamen laudabiliter etiam subtrahi potest: & talis subtractio, licet non sit de necessitate virtutis Temperantiz, erit tamen saltem elicitive ab illa, & imperative ab alia virtute, ad cuius finem hæc subtractio ordinatur. Neque dici potest, (Ibid.) quod inde jejunans sibi occasionem mortis afferat, quia talis subtractio vix, aut ne vix mortem accelerat; nam corpus humanum frequentius ex superfluitate, quam ex defectu, mortales ægrotudines incurrit, unde illud Galeni: Summa medicina est abstinentia; & experientia constat abstinentes frequentè diutius vivere. Cum itaque prædicta subtractio se habeat ad utrumque, scilicet ad prolongandam, vel breviamdam vitam, non potest dici occasio mortis.

Obj. 5. Intemperans potest jejunare; atque tunc ejus Mmum je-



jejunium non erit actus virtutis Temperantiae, seu abstinētia, qua caret: ergo. R. D. Min. Non erit actus abstinētia de facto ab ea elicitus, C. Min. Natus ab illa elici, N. Min. Nam ergo dicimus, jejunium esse actum abstinētia, sensus est, quod sit natus ab ea elici, quia est in ejus materia, & ejus moderamen servat, & de facto eliceretur, si adesset. Sicut, dum latro reddit depositum, dicitur facere actum justitiae, quia haec redditio nata est elici a justitia, licet de facto non eliciatur, quia non est.

Plura Hæreticorum argumenta recurrent tūm articulo sequenti, tūm maximè inferius, dum de delectu ciborum, art. 7.

## ARTICULUS III.

Utrum, & quo Jure præceptum sit Jejunium?

**N**Ota. Eustachiani & Aëriani quarto sæculo negarunt jejunium esse in præcepto. Sic enim discurrebat Aërius apud S. Epiphanium Hæresi 75. Sed neque jejunium institutum ulla ratio est. Haec enim omnia Judæorum propria sunt, & cuidam servitutis jugo subjecta. Quippe juxta nulla lex est posita, sed parricidii & matricidii duntaxat, & id genus alii. Nam, si jejunare omnino decreverim quacumque libertatis die, sponte & integra libertate jejunabo. Quam Theologiam cum suam fecerint Lutherani & Calvinistæ (quo pudore videant, eandem etiam cum istis Hæreticis damnationem a Concilio Langrensi anno 324. latam subire coguntur. Hoc autem Concilium Canon. 19. anathemati subjicit illum, Qui absque necessitate corporea, tradita in communi jejunia & ab Ecclesia custodia superbiendo dissolvit. Contra quos omnes.

Dico 1. (Hic a. 3. o.) Jejunium in communi Jure naturali præceptum est, quoad determinationem verò temporis & modi, Jure Ecclesiastico. Prob. 1. pars: (Ib.) unusquisque tenetur ex naturali ratione uti remedio, quo indiget; atqui jejunium in communi est remedium ad delectionem culpæ præteritæ & cohibitionem futuræ, ac ad elevationem mentis ad Deum, qui sunt fines nobis necessarii: ergo Jure naturali tenetur unusquisque jejunium adhibere, in quantum est sibi necessarium ad prædicta.

Prob. 2. pars: (Ibid.) Sicut ad seculares Principes pertinent præcepta legalia Juris naturalis determinativa tradere de his, quæ pertinent ad utilitatem communem in temporalibus rebus; ita a fortiori ad Prælatos Ecclesiasticos pertinet ea statutis præcipere, quæ ad utilitatem communem fidelium pertinent; atqui Ecclesia statuto determinavit tempus & modum jejunii: ergo. Major constat tūm ex paritate potestatis spiritualis ad temporalem, tūm ex potestate ligandi data Ecclesie Joann. 20. & 21. ex illo Luca 10. Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit: ex præceptis per Apostolos factis Act. 15. Confer insuper 1. 2. p. 96. a. 4. Minor etiam constat ex generali consuetudine Ecclesie pro lege ubique recepta. Confirmatur. Principes & Magistratus Hæretici quandoque indicunt jejunia, ut patet in Anglia & Hollandia. Quæro: subditi tenentur, vel non tenentur servare ista jejunia, qualicumque sint? Si tenentur, quidni fideles Ecclesie pariter jejunia præcipienti obedire debent? Si non tenentur, remitto argumentum ipsis Principibus & Magistratibus, fustibus, non verbis, probandum.

Respondet Dallæus, indici posse ab Ecclesia communia jejunia ex temporum, personarumque causis, ac necessitatibus, nulla verò posse indici stata & perpetua. Sed contra: Qui potestatem habet indicendi jejunia pro emergentibus rei Christianæ causis, pari jure habet auctoritatem stata in perpetuum jejunia præcipiendi, si causæ illorum sint perpetuæ, & certis vicibus recurrentis. Tales sunt causæ jejuniorum Ecclesiasticorum, scilicet, ut jam dixi, delectio culpæ præteritæ, cohibito futuræ, elevatio mentis ad Deum refræntatio concupiscentiæ, quæ causæ sunt perpetuæ: & ultra illas jejunium Quadragesimale specialiter est institutum, ut Christiani ad festa Paschalia se præparent, utque carnis mortificatione quodammodo Christo commoriantur, quæ causæ singulis annis recurrunt.

Itaque jejunium Ecclesiasticum, de quo nunc, & in sequentibus erit sermo; est abstinentia cibi, juxta modum ab Ecclesia præscriptum. Hic autem modus tria complectitur: 1. abstinentia a certis cibis, nimirum a carnibus: 2. unam tantum refectionem: 3. tempus hujus refectionis. De quibus dicemus distinctis articulis. Nunc.

Dico 2. (Ib. ad 2.) Lex Ecclesiastica jejunii secundum se obligat sub mortali. Est communis contra Angelum, v. Jejunium n. 14. & paucos alios, qui nolunt præcepta hu-

mana obligare sub mortali, nisi ut non agatur contra illa ex contemptu, vel ex consuetudine. Prob. Leges obligant pro quantitate materiæ sub mortali, vel veniali, nisi contrarium constet de intentione legislatoris; atqui jejunium, ut opus virtutis & homini ad salutem necessarium, aut valde utile, est ex suo genere materia gravis: ergo. Major probatur, dum de legibus; & patet, quia nisi teneatur hæc regula, nulla alia erit discernendæ obligationis: recurre enim ad intentionem legislatoris, nisi de ea aperte constet, est divinare, maximè cum hæc sit ordinariè conformis capacitati materiæ.

Confirmatur ex gravissimis poenis, quibus Ecclesia subjecerat olim violatores jejunii. Nam Concilium Langrense, ut dixi supra, eos subjecerat anathemati. Similiter Canon 68. inter Apostolicos, & Canon 56. Synodi Trullanæ: & si sint Clerici, jubent eos deponi. Hæc autem poenæ non solent ferri in peccantes venialiter tantum. Hinc jure damnata est ab Alexandro VII. hæc propositio n. 23. Irangitur Jejunium Ecclesie, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc facta, puta quia non vult se subijcere præcepto.

Advertit tamen Cajetanus in Summa, verbo Jejunium cap. 3. n. 6. quod is, qui absque fraude violat jejunium, putans bona fide se habere causam sufficientem, quæ tamen non sit, non peccat saltem mortaliter; quia, inquit, non censetur transgressor præcepti, cum per se & ex intentione non agat contra illud, nec enim ita per accidens & materialiter operatur, ut redeat peccatum in naturam suæ formæ, nisi forte agat ex ignorantia ita crassa, ut dolo æquiperetur. Ita etiam post Cajetanum, Nevarus in manu. c. 21. n. 20. citans S. Antonium 2. p. tit. 6. §. Ante. Item Sylvius hic a. 4. versus finem.

## Solvuntur Objectiones.

**O**bj. 1. cum modernis hæreticis: Obligatio jejuniorum pertinet ad jugum & servitutem legis Judaicæ, a quo Christus nos liberavit: unde jejunare ex obligatione est profiteri legem veterem, quod est superstitiosum: ergo. R. 1. Hoc ipsum esse argumentum Eustachianorum & Aërianorum, quos Ecclesia quarti sæculi damnavit in Concilio Langrensi: illuc nostrates hæretici querant solutionem. Interim R. 2. N. Antec. Non enim observamus jejunia nostra vi veteris legis, sed vi legis Ecclesie, neque sub illidem caeremoniis & ex iisdem causis, ex quibus servabantur legalia. Est sane Argumentum risu dignum. Lex vetus præcepit jejunia: ergo lex nova non potest præcipere, quasi Ecclesia non possit præcipere opera bona, quæ in synagoga prius præcepit: perinde est, ac si dicas: lex vetus præcepit orationem & eleemosynam: ergo nova non potest præcipere. Neque magis ab hac obligatione nos liberavit Christus, quam ab obligatione obediendi legitimis superioribus, tam sæcularibus quam, spiritualibus; quam & contra ubique arguit. Libertas ergo, qua nos donavit Christus, est libertas 1. A servitute peccati. 2. Et consequenter a servitute diaboli. 3. A servitute legis Mosaicæ, maximè caeremonialis, cujus jugum erat grave, & vix portabile. Act. 15.

Obj. 2. cum eisdem. Disciplina Ecclesie modernæ circa jejuniorum observationem est eadem cum disciplina Montanistarum: ergo rejicienda. Prob. Antec. 1. Catholici moderni, sicut Montanistæ, pari modo jejunant in certos dies, in abstinentia a certis cibis, ex lege stata & invariabili. 2. Antiqui Catholici impugnabant olim eodem modo: & iisdem argumentis jejunia Montanistarum, quibus nunc Calvinistæ impugnant jejunia modernorum Catholicorum, his nimirum Scripturis: Non hoc est jejunium, quod elegi. Quod intrat in os, non inquinat hominem. Esca nos non commendat Deo: et aliis: ergo. R. N. Ant. Ecclesia Catholica etiam jam probabat & observabat stata sua jejunia sicuti nunc, tempore quo Montanistarum jejunia damnavit; cum illa sint ex traditione Apostolorum, ut probabimus infra, & testatur ipse Tertullianus Montanista libr. de jejunio, c. 2. dicens. Certè in Evangelio illos dies de jejunio determinatos putavi (Catholici) quibus ablatus est sponsus, & hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum.

Disparit. autem inter utraque jejunia assignat S. Hieron. Ep. 54. ad Marcellam: Nos, inquit, unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus. Illi tres in anno faciunt quadragesimas; quasi tres passi sint salvatores. Non quid & per totum annum, excepta Pentecoste, jejunare non liceat, sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate manus af-

afferre. Igitur error Montanistarum non erat in eo positus, quod quadragesimale jejunium observandum esse ex præcepto contenderent, & observarent ipsi, sicut Catholici; sed quod præter quadragesimam ab Ecclesia observari solitam, duas alias quadragesimas, seu xerophagias necessariò esse observandas contenderent ex lege a Montano lata. Catholici verò alia quiddam jejunia præter antepaschale esse licita fatebantur; sed esse necessaria pernegabant: nec Montano, ac suis pseudoprophetis inesse eam auctoritatem hæc jejunia ex præcepto insituenti asserbant; quam agnoscent in Ecclesia, cui Spiritus S. jugiter assistit secundum Christi promissionem. Et hic est Montanistas inter, & Catholicos controversæ status, quem dissimulat Dallæus.

Hoc autem semel constituto, valida erant Catholicorum contra Montanistas argumenta. Et 1. Superstitiosa merito videbatur illa disciplina, & Christi verbis, Apostolicisque sententiis repugnans, quæ phanaticis tantum Montanistis, sociarumque muliercularum prophetis fulta erat. 2. Merito Catholici incensabant Montanistas, quod Galatarum instar dies, & annos observabant, quod coinquari putarent hominem per ea, quæ in os inferebantur, quod essent ex genere hominum ab Apostolo damnatorum, qui nuptias & abstinentiam a certis cibis erant prohibiti, quod denique illorum xerophagie Ethnicam superstitionem redolerent. Quid enim aliud credi poterat de semiviro illo Montano, & de Prisca, & Maximilla insanis feminis, quæ novas Prophetias mente una cum illo hæresiarcha novas leges Ecclesie statuendi, novaque indicendi jejunia, insolitasque abstinentias auctoritatem sibi arrogabant. At immerito Calvinistæ hæc adversus nos argumenta contorquent; cum facile probetur, ut patebit ex dicendis, nostra jejunia, ab Ecclesia instituta, vel ab Apostolis accepta ex obedientia, quam Ecclesie matri debemus, religiosè observari, & observata semper fuisse. Confer Art. præcedentem, & Art. 7.

Obj. 3. cum quibusdam Catholicis contra 2. Conclusionem. Violatio jejunii est tantum peccatum inobedientiæ; atqui inobediencia non est peccatum mortale, nisi sit formalis, proindeque cum contemptu: ergo. Prob. Maj. Quando Ecclesia prohibet aliquid, quod non est per se malum, hujus legis transgressio non est nisi peccatum inobedientiæ; atqui esus Carnium, aut multiplex in die refectionis, non est quid per se malum: ergo. R. 1. N. Maj. Ad probat. N. Maj. Est enim id proprium veræ legis cuiuscumque aliquid prohibens, aut præcipiens in materia alicujus virtutis, ut actum talis virtutis non necessarium faciat necessarium hoc ipso, quo faciendum præcipit, & omissionem ejus culpabilem in eodem genere virtutis: sic v. gr. dum Ecclesia præcipit Clericis recitationem Breviarii, facit, ut hæc recitatio sit actus necessarius Religionis, & ejus omissio peccatum contra Religionem. Cum igitur jejunium sit in materia Temperantiae, Ecclesia illud præcipiens facit, ut sit actus necessarius Temperantiae, cum aliquo non foret necessarius, si lege non præciperetur; & consequenter, qui jejunium ab Ecclesia præceptum violat, peccat contra Temperantiam, & non solum contra obedientiam. R. 2. N. Primam Minorem. Quando enim materia inobedientiæ est gravis, etiam inobediencia materialis erit peccatum mortale, ut docet Sylvius hic. Quantum ad alia argumenta hæreticorum, confer infra Articulum de delectu ciborum, & Art. 10. de universalitate hujus obligationis.

## ARTICULUS IV.

Utrum convenienter determinata sint Tempora Jejunii Ecclesiastici?

**D**ico 1. (Ibid. a. 5. o.) Convenienter determinata sunt tempora jejuniorum Ecclesiasticorum. Prob. (Ibid.) Convenienter indicta sunt jejunia illis temporibus, in quibus oportet homines a peccato purgari, & fidelium mentes in Deum elevari per devotionem; ad hæc enim duo maximè ordinatur jejunium, ut dictum est; atqui homines a peccato purgari, & ad Deum elevari maximè convenit ante solemnitatem Paschalem, ut rectè Mystera Dominice Passionis, & Resurrectionis celebrent, seque ad Confessionem, & Communionem præparent. Similiter in vigiliis præcipuarum Solemnitatum, quæ sunt devotius celebrandæ. Item in quatuor anni Temporibus, quibus Ordines conferuntur, ad quorum scilicet susceptionem oportet per jejunium preparari, & eos qui ordinant, & illos qui ordinandi sunt, & etiam totum populum, pro cujus utilitate ordinantur: ergo convenienter determinata sunt tempora.

Theol. Billuart. Secunda Secunda.

pura jejunii Quadragesimæ antepaschalis, Vigiliarum, & quatuor Temporum, quæ sunt omnia jejunia Ecclesiastica. Adde pro Quadragesima, aptissimum esse tempus ratione castitatis: quia verno tempore libido maximè incenditur ob sanguinis, & spirituum augmentum, ac fervorem. Et pro quatuor Temporibus etiam specialiter convenientia sunt, ut Deo supplicemus pro frugibus terræ, aut pro iisdem gratias agamus. His enim temporibus aëris temperies maximè variatur, & fructus omnes, aut seruntur, aut nascuntur, aut maturantur, aut colliguntur. Ita S. Leo serm. 2. 5. & 8. De jejunio 10. mensis. De jejunio 4. Temp. lege in Jure Dist. 75. Confirmatur (Ibid. in arg. s. c.) ex generali consuetudine totius Ecclesie: Quod enim tota per orbem frequenter Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissima insanie est: inquit Ang. Ep. 118.

Si dicas, (Ib. ad 2.) jejunia in determinatis mensibus pertinere ad caeremonialia Legis veteris. R. Jejunia nostra quatuor Temporum non servari iisdem temporibus, quibus Judæi, nec propter easdem causas; de quibus vide Auctorem.

Vigilia autem festivitatum, quibus indictum est jejunium, sunt vigiliae Nativitatis Domini, & Assumptionis B. Virginis Cap. 1. de observant. Jejun. vigiliae omnium Apostolorum, exceptis vigiliis SS. Philippi, & Jacobi, & S. Joannis Evangelistæ. Ibid. Cap. 2. Advertendum tamen quasdam harum vigiliarum in certis Provinciis non observari ex contraria consuetudine. Item, alia quatuor jejunia etsi non Jure scripto, generali saltem consuetudine servantur: nimirum vigiliae S. Jo. Bapt. S. Laurentii, omnium Sanctorum, & Pentecostes.

Dico 2. (Ibid.) Quadragesimarius dierum numerus in quadragesima, & ternarius in quatuor anni Temporibus, sunt etiam convenienter assignati. Quantum ad Quadragesimam, patet 1. (Ibid.) quia sic pro modulo aliquantulum imitatur jejunium Salvatoris, qui jejunavit quadraginta diebus. 2. Quia sic offerimus Deo decimas dierum anni: constat enim annus diebus 365. Horum decima pars sunt 36. qui a Dominica 1. Quadragesimæ usque ad Pascha, non computatis diebus Dominicis, sunt jejunio consecrati: quibus tamen postea additi sunt quatuor præcedentes hebdomadæ pro majori conformitate ad jejunium Christi. Ubi obiter advertit, etiam esse jejunandum feria 5. in Cæna Domini, ut definitur Concilium Laodicenum circa medium 4. sæculi contra quorundam contrarium usum. Porro ante horum quatuor dierum additionem nihilominus dicebatur quadragesima: quia, licet non jejunaretur jejunio perfecto nisi 36. diebus, jejunabatur tamen 40. diebus, jejunio tam perfecto, quam imperfecto; quia etiam Dominicis diebus erat abstinentia a carnibus, & lacticiis, quod est quoddam jejunium quadragesimale.

Quantum ad jejunia quatuor Temporum (Ibid.) patet etiam convenientia, tum ex numero mensium, qui competunt cuilibet tempori, quasi singulo mensi suum respondeat jejunium: tum ex numero sacrorum Ordinum, qui his temporibus conferuntur.

Dico 3. (Ib. ad 3.) convenienter Ecclesia non instituit de præcepto jejunia tempore Paschali usque ad Pentecostem, neque diebus Dominicis. Quia jejunium est opus poenale, & afflictivum, quod non convenit diebus lætitiæ, quales sunt dies quinquaginta post Pascha, & dies Dominicis propter commemorationem Resurrectionis. Unde Ambrosius serm. 61., & refertur dist. 76. G. ait: Per hos 50. dies (a Paschate ad Pentecostem) est jugis, & continua festivitas; ita ut hoc omni tempore neque ad observandum inducamus jejunia, neque ad exorandum Deum genibus succidamus. Similiter Aug. Ep. 119. c. 15. Quapropter, (Ibid.) qui Paschali tempore, aut diebus Dominicis jejunat ex contemptu hujus moris Ecclesie, aut ex errore Manichæorum, qui veram Christi resurrectionem negabant, aut singularitatis desiderio, aut cum superstitione, vel scandalo, non est a peccato immunus.

Dices 1. Cap. Rogationes de Consecrat. Dist. 3. ex Conc. Aurel. legitur: Rogationes, id est, Litanias, ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita ut præmissum triduum jejunium in Dominice Ascensionis Solemnitate solvantur. 2. Vigilia Pentecostes jejunium de præcepto servatur. 3. Quatuor Tempora sunt infra tempus Paschale, quod finitur in octava Pentecostes tantum: ergo. Ad 1. vel ibi sermonem esse de jejunio imperfecto, scilicet de abstinentia a carnibus, quale etiam observatur: vel hoc jejunium non fuisse de præcepto, sed de consilio tantum: vel tandem non fuisse Jure communi præceptum pro tota Ecclesia, sed propter aliquam necessitatem in particularibus quibusdam Ecclesiis, quod abijt in dissuetudinem. Sen-



sus autem S. Thomæ, & noster est, quod assignatis temporibus nullum sit Jure communi constitutum jejunium de præcepto pro tota Ecclesia. Ad 2. R. Neque jejunium vigiliæ Pentecostes esse ullo Jure scripto præceptum, sed observatum fuisse primò ex pia fidelium devotione, & consuetudine, quæ paulatim invaluit, ac tandem vim præcepti obtinuit. Ad 3. R. Tempus Paschale quoad officium durare quidem usque ad octavam Pentecostes: quoad vero exemptionem a jejunio expirare in ipsa die Pentecostes: & modò ex consuetudine in vigilia Pentecostes: hujus enim dum meminerunt SS. Patres, non numerant nisi 30. dies, ut patet ex Ambrosio, & Aug. citatis, & aliis.

Quia tamen (*Ibid.*) jejunium secundum se considerata est omni tempore laudabile, & juxta Hieron. ad Lucinum (refertur dist. 76. c. *Utinam*) optandum sit, ut omni tempore jejunare possemus; inferunt Bellarminus, & Sylvius hic, eum, qui seclusis prædictis motivis, aut inconvenientibus jejunaret assignatis diebus ex aliquo motivo honesto, & pio, puta propter fervorem devotionis, aut poenitentiam, vel propter instantem necessitatem publicam, aut privatam, non esse condemnandum.

Si opponas, quòd Melchisedes Papa ad Episcopos Hispanie scribat, quòd *Jejunium Domini diei, & quinque ferie nemo celebrare debeat, ut inter jejunium Christianorum, & Gentilium, veraciter credentium, & Hereticorum, vera, & non falsa discretio habeatur.* Refertur de Consecr. dist. 3. c. 14. Respondeo, quòd tunc temporis Gentiles, & Heretici assignatis diebus jejunarent, ad quorum ideo odium, & detestationem Pontifex prohibet Christianis jejunare iis diebus. Cessantibus verò his motivis, abolevit Lex.

Quæritur, utrum præter assignata jejunia sint, vel fuerint alia Jure communi præcepto pro tota Ecclesia? Pro Responsione accipe sequentia. 1. Antiquitas feræ l. 4. & 6. cujuslibet hebdomadæ erant jejunia consecrata. Feræ 4. quia hac die Judas convenit de tradendo Christo, & Judæi de eo occidendo consilium inierunt. Feræ 6. quia ea die Christus passus est. Ità Aug. Ep. 86. ad Casulanum. 2. Sabbatho in memoriam Sepulturæ Christi jejunabant olim pleræque Ecclesiæ Occidentales cum Romana, non tamen Orientales, neque inter Occidentales Mediolanensis, ut patet ex hac vulgata Responsione Ambrosii ad Aug. interrogantem pro matre sua: *Quando hic sum* (Mediolani scilicet) *non jejunio Sabbatho; quanto Roma sum, jejunio Sabbatho. Ad quamcumque Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si pati se malum non vultis, aut facere.* Hujus discrepantiæ inter Ecclesiam Orientalem, & Occidentalem causa fuit, quòd in Orientali essent quidam Heretici, ut refert Epiphanius de Simoniaco, Hæresi 21. & de Marcionitis Hæresi 42. qui affectabant jejunare Sabbatho, ne viderentur letari de quiete, & operibus Creatoris, quem verum Deum esse negabant. In quorum odium, & detestationem Ecclesia Græca prohibebat jejunium Sabbathi, excepto tamen Sabbatho Majoris Hebdomadæ. 3. Fuisse olim universale jejunium Kalendis Novembris, constat ex Isidoro libr. 1. de offic. c. 39. Idem & Kalendis Januarii per triduum, constat ex Conc. Turon. 2. can. 13. 4. Servatum etiam antiquitus fuisse jejunium per Adventum, tradit Innocentius III. cap. *Consilium* tit. de observat. jejuniorum. De diebus Rogat. dictum est supra. 5. Utrum hæc omnia jejunia fuerint observata ex devotione tantum, an etiam ex præcepto, non satis constat, excepto fortè jejunio Sabbathi, quòd videtur fuisse præceptum in Ecclesia Romana, & pluribus Ecclesiis Occidentalibus. At verò constat ex Populi Christiani communi sensu, & praxi, saltem nunc, nullum ex his esse universaliter in præcepto. Quòd si in quibusdam Ecclesiis particularibus quædam adhuc vigeant, standum est consuetudini. 6. Feræ sexta, & Sabbatho cujuslibet Hebdomadæ, item 3. diebus Rogationum, est obligatio sub mortali abstinendi a carnibus. Ità obtinuit consuetudo, salva tamen consuetudine contraria in certis locis, aut dispensatione: quia in Gallia, in Belgio, & pluribus aliis Provinciis licite comeduntur carnes Sabbathis inter Nativitatem Christi, & Purificationem B. M. Virginis, etiam ipsa die Purificationis, si Sabbatho venerit, ut declaravit Conc. Carnotense anno 1526. Idque factum arbitror, sive quia legem de abstinencia a carnibus diebus Sabbathi ab initio non acceptavit Plobs Christiana, nisi retenta veteri libertate prælati Sabbathis carnes comedendi, sive quia contra Legem latam, & acceptatam usus contrarius postea invaluit.

Quantum ad Feriam 6. si in ea incidat Festum Nativitatis Christi, est speciale rescriptum Honorii III. ad Episcopum Pragensem his verbis: *Explicari per Sedem Apostolicam postulanti, utrum sit licitum illis, qui nec voto, nec*

*regulari observantia sunt astricti, carnes comedere quando in 6. Feria dies Domini Nativitatis occurrunt? Ad hoc respondemus, quòd illi, qui nec voto, nec regulari observantia sunt astricti, in 6. Feria, si Festum Nativitatis Domini die ipso venire contigerit, carnibus propter Festi excellentiam vesci possunt, secundum consuetudinem Ecclesie generalis. Nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere.* Refertur cap. finali Extra. De observant. jejun. libr. 3. tit. 46.

Hinc oritur dubium, utrum Religiosi, quibus sola regulari observantia non obligant ad culpam indicta est abstinencia carnium, ut sunt Dominicani, possint absque peccato comedere carnes die Natalis Domini, si in Feriam 6. incidit? R. juxta communem sententiam posse. Ità Abbas, Sylvester, Armilla, Tabiena, Sa, Lopez & alii, quos citat, & sequitur Loth Tract. 7. q. 4. a. 3. Item etiam ii, qui severioris sunt disciplinae, Henricus a S. Ignatio, Natalis Alexander libr. 4. a. 7. Reg. 7. ex Prospero Fagnano in cap. *Explicari*: Quia inquit laudatus Fagnanus, erga tales Religiosos *Non habet locum exceptio, de qua hic, quia loquitur tantum de his, qui ad abstinenciam obligantur ex voto, vel ex regula.* Ii autem, quibus indicta est hæc abstinencia ex regula non obligant ad culpam, strictè, & propriè non obligantur. Canone Denique §. *Etsi legibus* dist. 4. Addi potest, quòd, si non extinguitur vi dispensationis Pontificiæ, quia fortè ibi excipiuntur, videantur saltem exempti vi consuetudinis generalis, de qua est mentio in Rescripto: sicut ex pari causa extinguitur, nullo contradicente, Sabbathis intra Nativitatem Christi, & Purificationem B. Virginis. Hæc enim consuetudo generalis, ut derogans legi communi, quæ etiam ante Rescriptum, ut ex ipso patet, jam vigeat, sicut neminem excipit, ita omnes afficit, relicta sola voti, aut regulæ obligatione.

## ARTICULUS V.

De una, vel multiplici Refectione in die Jejunii.

JAM dixi supra, ad integrum jejunium Ecclesiasticum tria requiri: 1. unicam refectionem: 2. quòd hæc unica relectio sumatur hora a Jure statuta, & non ante: 3. abstinenciam a certis cibis, scilicet carnibus, ovis, & lacticiis. Unde jejunium, cui deest aliqua ex his tribus conditionibus, non est nisi imperfectum, & semiplenum jejunium, quale agitur in diebus Rogationum, Feris sextis, & Sabbathis, & diebus Dominicis in Quadragesima. Has tres conditiones expendit S. articulus sequentibus, & nos cum ipso, simulque varias difficultates ipsis annexas per varios §§. Unde

§. I. Utrum requiratur ad Jejunium, quòd homo semel tantum comedat.

Dico (*Hic a. 6. o.*) Ad jejunium requiritur, quòd semel tantum comedatur in die, excepta Cœnula, de qua infra. Prob. 1. (*Ibid. in a. s. c.*) Ex consuetudine generali totius Ecclesiæ, quæ ab ejus incunabulis viguit; cum enim tunc fideles, non nisi ad vesperam refectionem sumerent, constat, eos non nisi unam sumpsisse. Prob. 2. (*Ib. o.*) Ecclesia instituit jejunium ad concupiscentiam refræandam, ita tamen quòd salvetur natura; atqui ad utrumque sufficere videtur unica comestio, per quam scilicet homo, & naturæ satisficit, & tamen concupiscentiæ aliquid detrahit, diminuendo comestionum vicem: ergo.

Si quæras, ubinam extet hoc Ecclesiæ præceptum? R. reperiri in ipsa institutione jejunii ab Apostolis, non scripto facta, sed verbo, & exemplo. In jejunio, inquit Cajetanus, communiter intelligitur unica relectio, quia Ecclesia indicendo jejunium secuta est exemplum Patrum veteris Testamenti, qui jejunantes tantum seculè relectabantur. Unde etiam per unicam refectionem distinguitur jejunantes a non jejunantibus; & ideo non dicimur jejunare Feris sextis, & Sabbatho, neque diebus Dominicis in Quadragesima, licet à carnibus abstinemus, quia nihilominus possumus plurius refici.

Dices 1. Non taxatur jejunantibus quantitas cibi: ergo nec numerus comestionum taxari debet. Patet consequentia jejunium, ut dictum est, est actus abstinenciæ, quæ non minus observat quantitatem cibi, quam comestionis numerum. R. N. Conseq. (*Ibid. ad 1.*) quia quantitas cibi non potuit eadem omnibus taxari propter diversas corporum complexiones, ex quibus contingit, quòd unus

majori, alter minori cibo indiget, sed ut plurimum omnes possunt naturæ satisfacere per unicam comestionem.

Dices 2. Licet pluries in die bibere: ergo & pluries comedere. Solutioni hujus argumenti reservamus infra §. integrum.

§. II. Utrum quis toties peccat contra legem Jejunii, quoties comedit ultra unam refectionem; an solum secunda refectione?

Solum peccari contra legem jejunii secunda refectione, & non sequentibus, docent plures, nec ignobiles Theologi, Durandus, Cajetanus, Sylvester, Navarrus, Paludanus, Lessius, & alii. Contra quos dico: Probabilis, & mihi propè certum videtur peccari contra legem jejunii, non solum secunda refectione, sed etiam sequentibus, tot quot sumuntur, excepta collatione. Ità Joannes Medina, Covarruvias, Molanus, Sylvius, Natalis Alexander, & alii. Prob. Præceptum Ecclesiasticum de unica refectione, licet verbotenus videatur affirmativum, est tamen re, & sensu negativum. Hujus enim propositio est: *Sumes unam tantum refectionem*, sensus est: non sumes plures refectiones. Sicut, cum Ecclesia præcipit Sacerdotibus: *Celebrabis tantum semel in die*, sensus est, non celebrabis pluries in die; atqui præcepta negativa obligant semper pro semper, ita ut non solum per primum, aut secundum actum ipsis oppositum violentur, sed per quoscumque sequentes: sic v. gr. quia Ecclesia prohibet ingressum Monasterii Montalium, toties quis peccat contra illud, quoties ingreditur: sic in presenti materia. Quia Ecclesia prohibet esum carnium in die jejunii, toties Legem transgredietur, quoties carnes comedit juxta ipsos Adversarios: ergo similiter. Confirmatur: Ex hoc, quòd Ecclesia præcipit, aut permittit, ut Sacerdos semel in die tantum celebret, aut fidelis communice, sequitur prohiberi non solum secundam celebrationem, aut communionem, sed etiam tertiam, quartam, &c. ergo similiter in nostro casu. Unde falsum est, quòd dicant adversarii, hoc præceptum non continere negationem simpliciter, sed finitam, & certo limite comprehensam, scilicet ne bis comedatur; ac proinde non prohiberi quascumque refectiones post primam, sed secundam domtaxat. Quemadmodum, inquit, si mulier vovendo virginitatem intendat tantum se obligare, non ad continentiam simpliciter, sed ad continentiam à primo actu virginitati contrario, non peccabit contra votum per actus sequentes, sed per primum tantum. Patet inquam ex dictis hoc assumptum esse falsum. Licet enim verum sit, quòd Ecclesia poterit suam intentionem restringere ad secundum actum, gratis omnino, imò irratiabiliter assertur, cum sit de ratione præcepti negativi, ut obliget semper pro semper, ut dictum est, nisi aliter intendat, & exprimat præcipiens, sicut facit mulier vovens, de qua in instantia. Id autem fecisse Ecclesiam, nullibi legitur: undè est disparitas.

Solvuntur Objectiones.

Obijcies 1. Jejunium, postquam secunda refectione violatum est, non potest amplius observari, quia fractum est; neque fieri potest, ut non sit fractum; atqui nemo tenetur ad impossibile: ergo. Ità Angelus. R. 1. Retorsio argumenti: Jejunium, postquam prima comestione carnium est violatum, non potest amplius observari, quia fractum est; neque fieri potest, ut non sit fractum; atqui nemo tenetur ad impossibile: ergo nec ad observantiam talis jejunii. Negant Adversarii hanc consequentiam: quo ergo jure eam negat, eodem jure nego consequentiam præcedentis argumenti. Undè R. 2. Dist. Maj. non potest amplius observari integrè, C. Maj. Quoad aliquid, N. Maj. Potest enim adhuc observari quoad tertiam, quartam, &c. refectiones, quæ non minus prohibentur, quam secunda. Qui autem non potest totam legem observare, tenetur observare partem, quam potest.

Inst. Si cui præciperetur non frangere vas aliquod, postquam semel fregisset, non peccaret amplius illud in ultiores partes frangendo: ergo similiter. R. Dist. An. Si vas semel fractum sit omnino inutile, C. Si sit adhuc utile, N. Jejunium autem semel fractum potest adhuc utiliter observari quoad aliquid. Insto in eo, qui semel comedit carnes, potest adhuc, & debet ab ulterioribus comestionibus abstinere, juxta Adversarios. Insupèr non valet consequentia à physico ad moralia.

Obj. 2. Lege jejunii non prohibentur plures refectiones absolute, sed solum quatenus per eas transgredimur limi-

tem in jejunio præstitutum, qui est una relectio; atqui per solam secundam refectionem hunc limitem transilimus: ergo. Prob. Minor à simili. Tunc solum quis transgreditur alicujus loci limitem sibi constitutum, cum facit primum passum ultra illum; non tamen, si postea longius ad decem, aut viginti passus ulterius progreditur: ergo similiter. Ità Durandus. R. N. Majorem, præcepto enim jejunii prohibentur ultiores refectiones præter primam, quomodocumque considerentur; quia, ut dixi, est præceptum negativum, præcepta autem negativa non solum prohibent actum primum, aut secundum ipsis oppositum, sed omnes sequentes. Undè etiam debet negari Minor. Hoc ipso enim quòd omnes refectiones præter primam prohibentur, non solum per primam transiliumus limes, sed etiam per sequentes, cum per eas etiam violetur præceptum, proindeque neganda est paritas, quia transilienti limitem non prohibentur, ut suppono, ultiores progressus, sicut hic prohibentur plures comestiones; si enim prohiberentur, etiam toties peccaret, quoties ulterius per intervalla progrediretur. Ut sit ergo paritas, debet comparari plurius comedere cum eo, qui pluries limitem transgrediretur.

Obj. 3. Plures refectiones non prohibentur in jejunio, nisi quatenus earum abstinencia videtur pertinere ad mortificationem carnis; atqui solum abstinencia à secunda refectione videtur ad hoc valere, non autem tertia, vel quarta, nisi fortè valde parum: ergo. Prob. Minor. Passim homines, exceptis mechanicis, non nisi bis comedunt; & qui bis comedit, non videtur multum mortificare carnem, si ab ulterioribus refectionibus abstinere: ergo. Ità Lessius. R. Dist. Maj. Plures refectiones non prohibentur in jejunio, nisi quatenus earum abstinencia videtur pertinere ad moderationem carnis positivè, vel privative, C. Maj. positivè tantum, N. Maj. Ad ejus sensum distincta Minor, N. Conseq. Explicatur: Qui abstinet à secunda refectione, mortificatur positivè, quatenus plus solito fame torquetur, & caro debilitatur; seu saltem ad hoc tendit hæc abstinencia. Qui verò sumpto secunda refectione abstinet ab ulterioribus refectionibus, licet fortè plus solito fame non torquetur, sed magis quam extra jejunium caro debilitetur, privat se tamen iis, quibus caro magis, ac magis nutretur, & saginaretur, magisque libido incenderetur; quam ideo mortificationem voco privativam, & quam duobus procul intendit lex jejunii; si enim prohibet secundam refectionem, ut non recalcitret caro, à fortiori prohibet ultiores, ex quibus magis recalcitret. Undè sic retorqueo Argumentum: Plures refectiones non prohibentur in jejunio, nisi quatenus sunt carnis saginativæ, & libidinis incentivæ; atqui non solum secunda, sed tertia, & quarta, &c. sunt carnis saginativæ, & libidinis incentivæ, ed magis, quò plures sumuntur: ergo. Insupèr posset absolute negari Minor. Nemo enim in die jejunii sumit tertiam, aut quartam refectionem, nisi vel gula, vel alio motivo humano ad id inclinate. His porrò motivis resistere, & abstinere est vera, nec tam levis mortificatio.

Quapropter ipse Lessius, cujus est argumentum, cogitur tandem fateri, quòd per tertiam, & quartam refectionem longius eatur ultra jejunii limitem, & magis recedatur à fine intrinseco jejunii, quam per secundam solum; & quòd communi hominum judicio magis censeatur violare legem jejunii, qui quater comedit, quam qui bis tantum, licet in hoc agnoscat culpam tantum venialem, quia existimat tertiam, & quartam refectionem prohiberi tantum secundario; sed gratis, & falso; tum quia ut dixi, graviter conductunt ad carnis saginationem, & rebellionem; tum quia, ut etiam dixi, de ratione præcepti negativi est, ut prohibeat æquè primario omnes actus sibi oppositos: undè, sicut quoties quis manducat carnes in die jejunii, aut quoties iterat celebrationem Missæ, toties peccat immortally; ita, quoties quis plus quam semel reficitur in die jejunii.

Obj. 4. In confessione non solet explicari, nec inquiri numerus refectionum; sed simpliciter dici solet non servatum jejunium: ergo. Ità iterum Lessius. R. N. Antec. universaliter sumptum: novi enim, & poenitentes explicantes, & Confessarios interrogantes numerum refectionum. Quantum ad illos, qui non explicant, aut non ignorant, tribuendum est partim eorum ignorantie, partim probabilitati contrariæ sententiæ, quam fortè probabiliorè reputant.

Obj. 5. Lex jejunii est penalis: ergo restringenda. R. Dato Ant. D. Consequens. Ergo restringenda servato sensu obvio verborum, C. Consequentiam: non servato sensu obvio verborum, N. Sensus autem obvius horum ver-



borum non comedas plures, est, quod prohibeantur omnes comestiones præter unam: sicut per hoc non celebrabis plures in die, prohibentur omnes celebrationes præter unam.

Ex dictis colliges, falsum esse, quod ex sua sententia inferunt quidam Adversarii, cum scilicet, qui sciens manè sumpsit jentaculum, sive cum culpa sive sine culpa, puta causa professionis, non teneri eo die jejunare, etiamsi contingat eum non proficisci; quia, inquit, jejunium jam est violatum, & amplius servari nequit. Quod principium confutavimus. Sed

Petes 1. Quomodo jejunare debeat, qui manè vel culpabiliter, vel inculpabiliter sumpsit jentaculum? R. Si manè plenam refectionem sumpserit, omisso prandio, debet ipsi sufficere collatio vespertina. Si leve tantum jentaculum sumpserit æquivalens collationi potest vespere cœnare, aut si subsit quædam ratio, v. gr. quod debeat adesse Communitati prandenti prandere, omisa tamén collatione. Quia debet salvari unica refectione in quantum potest: sic autem salvatur in utroque casu.

Hinc inferes, eum, qui manè culpabiliter jentavit, si postea plus quam unam refectionem sumat eo modo, quo diximus, duplex peccatum committere in Confessione aperientium, unum ratione anticipati temporis, aliud ratione multiplicis refectionis. Attamen, si is, qui inculpabiliter jentaculum sumpsit, gravem pateretur difficultatem in transigendo reliquo die absque cibo, posset meo sensu præter cœnam, aut prandium aliquid leve sumere circa meridiem, aut vespere; & id ex benigna interpretatione Matris Ecclesie, quæ non censetur velle, ut innocens graviolem patiatur difficultatem in jejunando, quam alii communitur; peccat de illo, qui culpabiliter jentavit: ipse enim sibi imputat.

Petes 2. utrum, qui aliquid leve plures comedit in die jejunii, peccet mortaliter. R. Affirmative, dum pervenit ad quantitatem notabilem; quia effectus singularum comestionum manet, & ita corroborat naturam, tollitque jejunii difficultatem, ac si simul fierent: paritas est de furtis minutis. Undè damnata est ab Alexandro VII. hæc propositio numero 29. *In die jejunii, qui sæpius quidam medicum comedit, et si notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Si tamen singulis diebus semel, aut bis aliquid leve comederit, non ideo in fine Quadragesimæ peccaret mortaliter; quia diversorum dierum sunt diversa præcepta, unicuique enim diei est suum præceptum affixum.

Petes 3. Quæ quantitas censetur notabilis, & ad peccatum mortale sufficiens. R. Mihi videri quantitatem notabilem, peccato mortali sufficientem, quæ æquivaleret, vel levi jentaculo, vel collationi, vel tertie parti refectionis.

Petes 4. utrum, qui latius prandit, ut facilius sustineat laborem jejunii, satisfaciat præcepto? R. Affirmative cum Covarruvia, Sylvio, Loth, & aliis, etiamsi levis quædam intemperantia subreperet: (*Hic a. 6. ad 1.*) quia juxta S. Th. quantitas cibi in una refectione non taxatur præcepto jejunii. Idem dicendum de eo, qui pridè lautius cœnaret, aut postridè citius, & largius jentaret.

Veruntamen, si quis gravi intemperantiæ excessu se cibo porroque ingurgitaret, eo præcisè animo ut nullatenus sentiret difficultatem jejunii, non video, quomodo posset excusari à fraude, proindeque à violatione legis, quia (*In 4. d. 1. §. 3. a. 4. Questio. 1. ad 1.*) *Legem violat*, inquit S. Th. *qui in fraudem legis aliquid facit.* Neque dicat, ut ante, quantitatem cibi non prohiberi lege jejunii, proindeque eum, de quo in casu, uti jure suo: non enim dico, hunc peccare contra legem præcisè ratione quantitatis, sed ratione fraudis: nemo autem habet jus faciendi aliquid in fraudem legis. Si reponas, legem non magis fraudari in hoc, quam in priori casu. Nego: aliud enim est temperata jejunii difficultate se illi, & suis munitis parem reddere, quod intenditur in primo casu: aliud omnem jejunandi difficultatem gravi excessu extinguerè, quod intenditur in secundo casu. Sic juxta communem sententiam peccat contra legem jejunii, qui in ejus fraudem proficiscitur in locum, ubi non est jejunium; non peccat, si illuc erat propter suam negotia. Caterum hæc dicta velim inquirendo potius, quam resolvendo.

### §. III. Utrum liceat dividere Refectionem in die Jejunii.

Dico: Qui sine causa legitima sic dividit refectionem, ut non remaneat moraliter una, frangit jejunium. Patet ex dictis; quia lex jejunii permittit tantum unam refectionem.

Dixi 1. *Sine causa legitima*; quia, sicut causa legitima excusat ab integro jejunio, à fortiori ab unitate refectionis, quæ est tantum pars jejunii: minor enim causa requiritur ad eximendum à parte legis, quam à tota lege. Quæ verò debeat cœnari in hac parte causa legitima, varè variè determinat, &

ut mihi videtur satis arbitrariè. Generalitèr loquendo potest assignari, sicut circa omnes alias leges humanas, impotentia physica, aut moralis continuandi eandem refectionem. Impotentia physica, ut accidit plerumquè in pauperibus, qui non habent, undè unam integram refectionem simul, & semel sumere possint. Impotentia moralis, seu magna difficultas, quando scilicet non potest continari eadem refectione absque aliquo gravi damno, aut incommodo, v. gr. si quis ex infirmitate non possit eodem tempore integram refectionem sumere: si Parochus inchoata refectione vocetur ad ministranda Sacramenta, quæ commodè, aut sine periculo differri non possunt. Si instet alia necessitas succurrendi proximo periclitanti, sive corporalitèr, sive spiritualitèr. Si inter prandendum occurrat mercatori occasio transiens aliquas merces notabiles vendendi, aut solutionem debitorum periclitantium recipiendi. Ex his exemplis alia collige. Et nota, mihiorem, ut jam dixi, requiri causam ad dividendam refectionem, quam ad eximendum à toto jejunio. Item majorem, vel minorem requiri, prout majus, vel minus intervallum intercesserit inter utramque partem refectionis.

Dixi 2. *Sic, ut non remaneat moraliter una refectione.* Pro quo attendendum est, & ad intentionem jejunantis, & ad spatium temporis, quod inter inchoatam, & resumptam refectionem intercedit. Ex 1. capite, qui sufficienter, licet non abundè, refectionis surgit à mensa cum animo finiendi, & postea iterum eidem, vel alteri mensæ accumbit, quamvis intra tempus communitèr concessum ad refectionem, quod est duarum horarum, frangit jejunium; quia in hoc casu prior refectione re, & animo finita est, adeoque repetitio non censetur respectu hujus hominis continuatio prioris, nec una moralitèr cum illa, sed plures. Ità Navarr. Valent. Layman, Sylvius, & communis contra Lessium. Hanc tamén violationem quidam non reputant nisi venialem, quibus assentior, modò sit breve intervallum, puta semiquadrantis circiter; quia tunc videtur materia levis; secus, si sit notabile intervallum, juxta sequentia. Ex 2. capite, qui, sive sufficienter, sive insufficienter refectionis, sive cum animo, sive sine animo repetendi mensam, abrupti sine causa legitima refectionem, post notabile tempus, puta unius horæ, etiam sistendo intra tempus legitimum refectionis, repetit mensam ibidem, vel alibi, peccat mortalitèr, vel contra modum unice refectionis ab Ecclesia præscriptum, si non fuerit sufficienter refectionis, quia ob notabile spatium intermedium non censetur moralitèr una refectione, sed duplex. Si autem sit brevior mora, puta unius quadrantis, & secundum aliquos semihoræ, videtur materia levis, adeoque peccatum veniale; maximè, si non fuerit prius sufficienter refectionis, & adfuerit animus continuandi postea. Si autem sit brevissima mora, nullum erit peccatum, quia parum in moralibus pro nihilo reputatur, & non desinit ideo reputari moralitèr una refectione. Hæc omnia satis communitèr admittuntur, nisi quòd alii longiorem moram, alii breviorè assignent.

Ex dictis colliges 1. eos, qui inter pocula, & ferula confabulantur, negantur, nuptia, seu litteras legunt, modò refectionem non protrahant ultra duas horas, non peccare contra Legem jejunii, quia moralitèr censetur una refectione. Colliges 2. eos, qui, dum prævident diu differendam esse refectionem, aliquid præsumunt intra horam legitimum, propter debilitatem præsentem, aut contra superventuram aliquam infirmitatem, non peccare; si id faciant absque causa, peccare venialitèr, aut mortalitèr, pro quantitate materiae, & interpolationis. Hac ratione quidam excusant Lectores, & ministros mensæ, qui aliquid sumunt antè prandium, hora tamen legitima, & statim post prandium aliorum absolvunt suam refectionem. Alii eos excusant, eò quòd censetur una moralitèr refectione. Ego neutram rationem universalitèr sufficientem arbitror. Non primam, quia non omnes indige antè hoc admiculo. Non secundam, quia tandiù potest protrahi refectione, puta ad duas horas, ut non possit cœnari moralitèr una refectione ex priori, & posteriori assumpto. Quia tamén communitèr Theologi tales excusant, verius puto eos excusari ex consuetudine communitèr recepta, etiam apud timoratos, & Religiosos.

### §. IV.

## DE TEMPERANTIA &c.

### §. IV. De Cœnula, seu Collatione.

Dum ignota fuit in Ecclesia cœnula vespertina, quæ dicitur *Collatio*: cum enim unica permitteretur refectione, quæ sumenda erat in Quadragesima hora vespertina, & in aliis jejunii hora nona, hoc est, tertia pomeridiana, non erat locus collationi. Huic verisimilitèr occasionem præbuit usus apud quosdam Monachos bibendi antè lectionem, seu collationem spiritualem, quæ vespere antè Completorium fieri solebat, ut legitur in conventu Abbatum Francie Aquigrani ann. 817. his verbis: *Si necessitas poposcerit ob operis laborem post refectionem vespertinam, etiam in Quadragesima pari modo, & quando Officium mortuorum celebratur, priusquam lectio Completorii legatur, bibant.* Deinde potui additum esse frustulum, vel panis, vel alterius cibi, ne potus noceret. Et ne tempus officii vitæ regularis destinatum, in ea actione tereretur, lectionem, seu collationem spiritualem, qua in Claustro, seu Capitio fieri solebat, his diebus in Refectorio habuerunt, & hinc ad Refectorium aditum his verbis significabant, *ire ad collationem, ire ad lectionem collationem, & sic nomen Collationis ad serotinam illam refectionem translatum est.* Verum non in solo potu, adhibito frustulo alicujus cibi solidi per modum medicinae, ne potus noceret, semper sterit hæc collatio, sed aucta est tandem ad aliqualem nutritionem, ac per modum cibi sumptio contrit. Videtur, quòd tempore D. Th. (obit ann. 1274.) nondum erat in usu; ubi tunc enim S. Doct. agit de jejunio, illud reposit in una refectione, nulla mentione facta collationis; & Constitutiones nostræ, circa hæc tempora editæ, non nisi potus meminerunt his verbis: *Intra vobis Lectionem bibere poterunt ... data benedictione ab Hebdomadario: Largitor omnium honorum benedicat potum servorum suorum.* Probabile est, tunc fuisse introductam, quando anticipata est hora refectionis à vespere, & tertia pomeridiana ad meridiem; cum enim, si post tam maturam diè refectionem, homines nihil amplius cibi sumerent, difficultè noctu somnum capere possent, consuetudinem paululum invalenscente, Cœnula vespertina fuit introducta.

II. Caterum, quidquid sit de origine hujus Cœnule, nunc saltem constat esse licitam, non solum ne potus noceret, aut somnus impediatur, sed etiam ad aliquam nutritionem ex indulgentia Matris Ecclesie, hanc relaxationem in sua Lege tolerantis. Id admittunt unanimitèr Theologi, & confirmat praxis omnium, etiam timoratorum. Sed circa quantitatem, & qualitatem ciborum sumendorum in hac Cœnula tanta est Sententiarum varietas, ut vix duos sibi consentientes reperias, & fore tot sint Sententiæ, quot capita.

III. Circa qualitatem. Quidam permittunt solum panem: alii cum pane fructus arborum crudos, poma, pira, uvas, cerasa, acetarium, &c. quibus butyrum, & caseum: quidam pisciculos paucos non coctos, sed fumo duratos, aut aceto maceratos: quidam etiam coctos, & legumina cocta, imò & jusculum coctum ex his, quæ licita sunt in collatione, aut ex vino vel cerevisia, vel aqua cum pane, herbis, butyro, vel oleo conditum; cum enim, inquit, liceat hæc sumere seorsim in collatione, quidni paritèr liceat sumere jusculum ex his commixtis, & coctis confectum, cum nihil referat calidumne, vel frigidum sumatur. Negant alii, contententes ignis concoctionem multum mutare materiam subjectam, ita ut alium ex ea cibum faciat nutritioni magis servientem. Quidam generalitèr determinat posse sumi, quæ in jentaculis apponit solent, vel præmitti in refectionibus ad excitandum appetitum, vel postponi ad sigillandum cibum, *en Dessert.* Quidam tandem volunt non esse attendendam qualitatem ciborum, sed quantitatem dumtaxat, ita ut ex omnibus cibis esurialibus, seu qui die jejunii licite sumuntur in prandio, piscibus, leguminibus, ovis, &c. etiam liceat sumere in collatione, modò servetur quantitas. Ita Cajetanus in Summula, v. *Jejunium c. 1. n. 9.* dicens, *non referre quid quisque sumat, si modum non excedit.* Ità Bonac. de præceptis Eccl. disp. ult. q. 1. puncto 3. citans Asor. Tolet. Abul. Reginald. Filluc. Ità Lot. citans Jacob. Marchant. in resolut. pastor. p. 2. c. 5. Wigens Tract. de Temp. cap. 1. dub. 4. Ità etiam Sporer in Append. ad 3. præceptum Decalogi sec. 2. §. 3. n. 32. citans Petrum Marchant. Tribun. part. 2. Tract. 12. tit. 3. q. 3. dub. 1. cuius ratio est: *Quia cum collatione illa tolerata sit, seu permissa ad aliquam confortationem nature propter infirmitatem humanam, ni-*

hil refert, quo cibo esuriali illa confortatio fiat, modò non excedatur. In tanta opinioinum varietate rectius docere mihi videntur, qui dicunt, standum esse probatè consuetudini Regionis, in qua quis vivit. Quia, cum collatio ortum habeat à consuetudine, etiam consuetudine modus ejus regi debet.

IV. Circa quantitatem non minus dissentiant Auctores, dum alii ad unam panis unctam cum dimidia restringunt alii ad duas, alii ad tres, quatuor, quinque, sex extendunt, quasi verò quisvis panis, aliusve cibus esurialis sit ejusdem virtutis nutritivæ, & alter altero non sit substantior, & quod sufficit uni, omnibus sufficit. Relictis ergo his opinionibus ut infundatis, & arbitrariis, alii assignant pro quantitate collationis leve, aut semiplenam jentaculum, alii quartam, alii quintam, alii sextam partem ordinariæ refectionis; sed hæc sententiæ videntur etiam arbitrarie, & nisi aliquid addatur, patiuntur easdem instantias, ac prior.

Itaque, salvo meliori judicio, duo sunt attendenda, juxta quæ regi debet quantitas collationis. Primum est consuetudo ejusvis Regionis inter timoratos recepta: non enim est una in omnibus. Sic in frigidioribus plius concedi solet, quam in calidioribus. In his partibus satis communitèr assumitur pro cœnula, quod æquivaleret mediocri jentaculo, aut quartæ, tertieve parti refectionis ordinariæ. 2. Inspecienda est conditio personæ jejunantis; plius enim concedi debet seni, seu debili, quam adolescenti, aut robusto; plius voraci, quam fame carenti. Idque ratio suadere videtur; sicut enim, juxta S. Thom. (*Hic a. 6. ad 1.*) *Quantitas cibi non oportuit eadem omnibus taxari* (in refectione) *propter diversas hominum complexiones, ex quibus contingit, quòd unus majori, alter minori cibo indiget.* Ità nec oportuit eadem omnibus taxari in refectione, quæ permittitur etiam ad indigentiam naturæ aliquantillèr sublevandam. Dicimus itaque, quòd ex primo capite quisque potest sumere in collatione tantum, quantum sumi communitèr solet in sua Patria, eodem semper principio, quòd collatio à consuetudine vim habeat. Ex secundo capite potest plius sumere etiam, quam sumi solet communitèr, qui plius indiget.

Sed dices forte: si collatio debeat sumi respectivè ad conditionem personæ, ita ut plius sumere possit plius indigens, minus qui minus indiget: ergo nihil sumere debet, & potest, qui nullatenus indiget, quales sunt plurimi, quibus unica plena refectione abundè sufficit ad sedandam famem per totum diem, & ad naturam sustentandam; atqui hoc videtur inconveniens: ergo. R. N. Sequelam majoris: quia, licet ex secundo capite collatio sit respectiva, ex primo tamén capite est absoluta, ita ut quisque consuetudine permittente possit absolutè sumere, quantum communitèr sumi solet in sua Patria, sive indiget, sive non. Undè est tantum respectiva hoc sensu, quòd, qui plius indiget, plius sumere possit, quam sumitur communitèr; non autem quòd, qui minus indiget, minus sumere debeat, quam sumitur communitèr, sed minus, quam qui plius indiget. Sicut, quia lex jejunii permittit sumere unam integram refectionem, quisque, sive indiget, sive non, potest eam sumere absque transgressione legis: si autem, qui plius indiget, possunt sumere largiorem, quam sumi solet communitèr absque eo quòd, qui non indiget, teneantur vi legis abstinere ab ea, quæ communitèr sumi solet. In hoc tantum est disparitas, quòd in plena refectione lex nullatenus taxet cibi quantitatem, ita ut non indigens, qui lautius pranderet, non peccaret contra legem jejunii, sed contra Temperantiam tantum: in refectione autem consuendo taxat in communi, & secundum se quantitatem, quæ in jentaculis apponit solent, ultra quam communitèr non itur; non prohibet tamén, quin per accidens quis possit plius sumere, si nempe plius indiget. Caterum id unum omnibus, & semper est observandum, ut sic attemperetur cœnula, quòd non versatur in cœnana.

Petes 1. quantum excessus requiritur in collatione ad peccatum mortale? R. meo sensu talem requiri, qui seorsim sumptus sufficeret ad alteram collationem: sicut dixi supra, talem quantitatem sufficere ad fractionem mortalem jejunii.

Petes 2. utrum liceat sumere collationem meridiè, prandio in vespere dilato? R. non licere sine causa: quia est contra consuetudinem Ecclesie. Hæc tamén transmutatio non est nisi venialis, quia non est violatio jejunii quoad substantiam, sed quantum ad circumstantiam non multum gravem; cum difficultus sit sumere famem, sumpta mane collatione ad vespere, quam suscepto prandio. Occur-



currente autem aliqua causa rationabili, quae non debet esse multum gravis, v. gr. itineris, studii, lectionis, aut concionis habendae, alicujus negotii peragendi, amici adventuri, &c. nulla est culpa. Ita communiter.

Potes 3. utrum in Vigilia Nativitatis possit sumi largior collatio? R. negativè, nisi ubi viget consuetudo contraria (non videtur vigere in his partibus) aut nisi labor assumendus in cantu plurium horarum excuset.

§. V. Utrum juxta S. Thom. Potus solvat Jejunium?

Nota 1. Ex his, qui contendunt potu solvi jejunium, quidam concedunt non solvi potu aquae simplicis. Ita Natalis Alexander l. 4. Theol. Dogmat. & Moral. c. 5. a. 7. Reg. 14. his verbis: Aqua quidem secundum se non nutrit, & ob hoc non solvit jejunium. Non sic tamen S. Th. in 4. d. 15. q. 4. a. 4. q. 1. ad 1. Aqua, inquit, etsi solvat jejunium naturae, quia aliquo modo nutrit, non tamen solvit jejunium Ecclesiae, quia Ecclesia non attendit in statuendo id, quod quomodocumque nutrire potest, sed id, quod principaliter ad nutriendum ordinatum est. Alii paucio liberiores concedunt, quod, licet vinum, cerevisia, siccera, & similes liquores nutriant, liceat tamen eis uti extra horam refectionis ex necessitate, seu ad extinguendam sitim, sed ultra sumptos, frangere jejunium. Ex alia parte quidam plus aequo indulgentes ita volunt licitum esse omnem potum, ut etiam sumptus in fraudem jejunii, causa sedendae famis, & nutriendi, non solvat jejunium, nec etiam si aliquid cibi sumatur toties quoties bibitur, ac potus nocet. Idem censent de Chocolat, sumpto ad nutritionem, & extinctionem famis.

Nota 2. Esto potum non prohiberi lege jejunii, ut modo dicam; certo tamen constat, eum, qui bibit sine necessitate extra horam refectionis, agere contra finem precepti, peccare contra Temperantiam, & jejunii meritum perdere, vel in toto, vel in parte. In toto, si sit immoderantia mortalis, in parte si sit venialis; eo modo, v. gr. quo, qui in fine orationis voluntarie distrahitur, perdit ex illa parte meritum orationis. Quapropter omnino culpandi sunt, qui non sine fidelium scandalo dies jejunii agunt in Popinis, seque vino, aut cerevisia ingurgitant. Sed utrum etiam peccent contra legem jejunii? Quaesitio est secundum mentem D. Th. quae ut magis elucescat, vix aliquid de meo proferam, sed omnia ferè ex S. Doct. cujus etiam verba, contra id quod consuevi, distincto characterè notabo. Itaque

Dico: Juxta S. Th. potus, propriè sumptus, secundum se non frangit jejunium. Prob. 1. S. Doct. hic a. 6. sibi proponit 2. loco hoc argumentum: Sicut homo nutritur cibo ita & potu... sed non est prohibitum, quia bibamus pluries diversis horis diei: ergo etiam non debet esse prohibitum jejunantibus, quin pluries comedant. Cui argumento respondit ad 2. his verbis decretoriis: Jejunium Ecclesiae non solvitur nisi per ea, quae Ecclesia interdicit intendit instituendo jejunium. Non autem intendit Ecclesia interdicit sumptionem (sive abstinentiam) potus, qui magis sumitur ad alterationem sedandam, & digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat; & idè licet pluries jejunantibus bibere: ergo, juxta S. Thom. potus propriè dictus, etiam immoderatè sumptus, secundum se non frangit jejunium. 2. Ibidem immediatè subjungit: Si autem quis immoderatè potu utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere, sicut etiam si immoderatè cibum in una comestione assumat. Subsumo; atqui, qui cibum immoderatè sumit in una comestione, non frangit jejunium, sed peccat dumtaxat contra Temperantiam: ergo juxta S. Th. potus propriè dictus, etiam immoderatè sumptus, secundum se non frangit jejunium. 3. In 4. dist. 15. q. 3. a. 4. quaestione. 1. o. sic dicitur: Jejunium dupliciter solvitur: uno modo quantum ad meritum, ita quod homo vel non meretur, vel minus meretur; & de hac solutione jejunii non intendimus ad praesens... Alio modo solvitur jejunium secundum quod est ab Ecclesia institutum, & de hac solutione jejunii nunc querimus. Ad hoc autem praecipue valet considerare intentiones statuentis. Intendit autem Ecclesia certum modum statuerè manducandi, ut scilicet semel in die jejunans manducet. Et idè, si aliquorum sumptio, secundum quae manducatio solet compleri, iteretur, jejunium praedicto modo acceptum solvitur. Si autem aliqui sumantur, quae ad manducandum de se non sunt ordinata, sed ad alium usum, qui usus communiter manducatio non vocatur, talis cibum, vel potus sumptio praeter manducationem unam autè, vel post non facit esse binam manducationem; & idè talis sumptio jejunium non fran-

git. Subsumo; atqui potus propriè dictus non est de se ordinatus ad manducandum, sed ad potandum, & ejus usus communiter manducatio non vocatur: ergo juxta S. Thom. potus propriè dictus secundum se non frangit jejunium. 4. Ibidem ad 1. Quamvis aliquis potus aliquo modo nutriat, tamen de se non ordinatur ad nutriendum; sed magis ad bonam dispositionem eorum, quae nutriunt, ut scilicet per membra deducantur, & in stomacho non comburantur. Undè sumptio potus manducatio non dicitur, & idè qui potat extra horam unice refectionis, non dicitur bis manducare, & propter hoc nec statutum Ecclesiae frangit; nisi in fraudem faciat, quia legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit: ergo juxta S. Tho. potus propriè dictus secundum se non frangit jejunium. Haec plana sunt, nec commentariis indigent. Undè meo sensu excutunt in meridie, qui S. Doctoris mentem in dubium revocant.

Dixi 1. Potus, propriè dictus, qui nimirum, ut dicit S. Doct. ex sua natura, & principaliter ordinatur ad refrigerationem, & digestionem, licet aliquo modo nutriat, ut sunt vinum, cerevisia, siccera, aqua, & alii similes liquores. Undè lac, mel, jusculum Bouillon, Chocolat, & similia non censentur potus; quia, licet non dicantur manducari, neque propriè potari, sed sorberi, potius tamen secundum se ordinantur ad nutritionem, quam ad refrigerationem, & digestionem, & sic sunt magis cibus, quam potus, & idè frangunt jejunium. Quantum ad The, & Caffet, quamvis aliquo modo nutriant, ratione jusculi herbarum, aut fabarum, & sacchari, cum tamen secundum se sumantur principaliter ad refrigerationem, & digestionem, videntur mihi habere rationem potus, nec solvere jejunium, nisi fortè multum lactis, & sacchari immisceatur, & sumantur in magna quantitate.

Dixi 2. Secundum se; quia per accidens potus potest solvere jejunium duplici modo. 1. Ratione consuetudinis. Si enim in aliqua Provincia, vel Diocesi viget consuetudo pro lege communiter accepta abstinenti a potu extra horam refectionis, servanda est; sicut enim consuetudo potest praescribere contra legem, ita etiam potest vim legis obtinere. Quod si, non vi consuetudinis, sed ex absentia servaretur, sed de falsa opinione, quod lex jejunii secundum se, & vi suae institutionis ad illam obliget, tunc ex sola conscientia erronea, & fortè ratione scandalii, quis peccaret bibendo. Deposita autem hac conscientia per saniorè doctrinam D. Th. non teneretur a potu abstinere, nisi secundum leges Temperantiae, & fortè scandalii vitandi. 2. Potus per accidens frangit jejunium, quando sumitur in fraudem jejunii: Quia, inquit S. Doct. supra cit. violat legem, qui in fraudem legis aliquid facit. At, quando quis censetur bibere in fraudem legis, non est una omnium sententia. Quidam id fieri putant, quando quis bibit immoderatè, aut ex sola voluptate sine ulla necessitate. Ita Pontas v. Jeune cas. 12. Henricus a S. Ignatio l. 11. c. 3. & sic etiam videtur sentire doctissimus Sylvius hic.

Sed non sic S. T. Si quis, inquit hic a. 6. ad 2. immoderatè potu utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere, sicut etiam si immoderatè cibum in una comestione sumat. Sed, qui sumit immoderatè, & ex sola voluptate cibum in una comestione, non idè censetur agere in fraudem jejunii, nec peccare contra legem jejunii, sed contra Temperantiam tantum: ergo. Item S. Doct. in 4. loco cit. ad 3. ait: Quidam dicunt, quòd, si electuaria comedantur ad delectationem, solvunt jejunium; si autem causa medicinae sumantur, non solvitur jejunium (Electuaria sunt medicamenta saccharo, vel melle condita: v. gr. confectura). Sed statutum legis positivè non attendit intentionem observantis, sed ipsum aptum; eò quòd modus virtutis non cadit in praeepto, sed est finis praeepti, sed ex intentione potest aliquid mereri, vel demereri: & idè dicendum, quòd electuaria, etsi aliquo modo nutriant, non tamen hic est principalis usus eorum, undè nec loco manducationis sumi consueverunt; & idè talis sumptio jejunium Ecclesiae non solvit, quamvis homo possit totalitè, vel in parte ex hoc meritum jejunii perdere, vel etiam mortalitèr peccare, si sit immoderata libido; non tamen est transgressor praeepti Ecclesiae, nisi in fraudem sumeret, aut si eis quasi aliis cibis uteretur ad famem extinguendam: ergo sumere praecise immoderatè, & ex voluntate electuaria, a fortiori potum, non est agere in fraudem legis jejunii, nec eam transgredi.

Ille itaque, juxta S. Th. dicendus est sumere potum, aut electuaria in fraudem legis, qui, ut dicit S. Doct. in textu praecedenti, eis utitur quasi aliis cibis ad extinguendam famem, & ad nutriendum. Vel ut dicit hic a. 6. ad 3. Qui ea assumit per modum cibi. Hoc autem assumitur. Per

modum cibi, quòd assumitur ad sedandam famem, & ad nutriendum, ad id enim ordinatur cibum. Qui igitur eo animo sumit potum, aut electuaria, agit in fraudem legis, & idè peccat, vel mortalitèr, si sumat in magna quantitate, vel venialitèr, si in parva.

Ex his colliges, hoc famosum, & ubiqùe decanatum adagium LIQUIDUM NON FRANGIT JEJUNIUM, ex duplici capite esse falsum, nec a S. Th. unquam traditum; quin ab ejus mente prorsus alienum. 1. Quia, licet omnis potus sit liquidum, non tamen omne liquidum est potus, ut patet de lacte, jusculo, & aliis, ut dixi supra; solus autem potus propriè dictus juxta S. Th. non frangit jejunium. 2. Quia juxta eundem S. Doct. potus etiam propriè dictus potest per accidens frangere jejunium, si nempe sumatur in fraudem jejunii per modum cibi; & etiam, ut dixi ratione consuetudinis.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. S. Th. hic a. 1. & 3. o. dicit, jejunium assumi ad concupiscentias refranandas, ad elevationem mentis ad Deum, & ad satisfactionem pro peccatis: & ad 2. quòd, si quis transgreditur Legem hoc modo, ut impeditur finis, quem intendit. Legislator, peccet mortalitèr talis transgressor; atqui, qui immoderatè bibit vinum, aut cerevisiam, impedit finem, quem Legislator jejunii intendit, scilicet refractionem concupiscentiae, elevationem mentis ad Deum, &c. ergo. Ita Henricus a S. Ignatio. 2. S. Th. hic art. 6. ad 3. dicit, quòd, si aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate sumat per modum cibi, solvat jejunium; atqui eadem est ratio de potu, maxime substantiori, ut est pinguis cerevisia, aut vinum generosum: ergo. Ita Sylvius.

R. Ad 1. Fateor, eum, qui transgreditur legem hoc modo, ut impediatur finis Legislatoris, peccare mortalitèr; sed qui bibit extra horam refectionis non transgreditur Legem, siquidem Lex non intendit interdicit sumptionem potus, hic a. 6. ad 2. Ad 2. data Minori N. Conseq. Non enim dicit S. Thom. quòd, qui sumit electuaria in magna quantitate, praecise agit in fraudem jejunii, sed qui sumit in magna quantitate per modum cibi: sic enim sumptum potum fatemur solvere jejunium, sumitur autem, ut jam dixi, & modo adhuc dicam, per modum cibi, quando sumitur ad extinguendam famem, & ad nutriendum. Omisi Minorem; quia potest negari, & paritas asserta; cum enim electuaria, ut plurimum solida, manducantur, & sint valde substantiosa, si sumantur in magna quantitate, mortalitèr loquendo, & in apprehensione hominum censentur comedi, & sumi per modum cibi; hic enim res mortalitèr agis, & judicari debet: secus de potu, qui, cum sit liquidus, & minus substantiosus, quantumvis sumatur, non censetur mortalitèr comedi, nec sumi per modum cibi ad extinguendam famem, & nutriendum, nisi id formalitèr intendat bibens.

Instabit 1. qui potu utitur immoderatè ex sola voluptate, non eo utitur ut potu: ergo ut cibo. Probat. Ant. Potus secundum D. Thom. est, qui ordinatur ad refrigerationem, & digestionem; atqui, qui utitur potu immoderatè, non eum ordinat ad refrigerationem, & digestionem: ergo. R. N. Ant. ad prob. D. Min. qui utitur potu immoderatè, non eum ordinat ad refrigerationem, & digestionem, & tamen ex se, hoc est, ex sua natura, & institutione ad id ordinatur, C. ex se ad id non ordinatur, N. Non dicit autem S. Thom. id esse potum, quem potans ordinat ad refrigerationem, & digestionem, sed id, quòd de se, hoc est, ex sua natura, & institutione ad id ordinatur. Sicut, qui immoderatè cibum sumit, quamvis cum non ordinet de facto ad extinguendam famem, & ad nutriendum, sed ad solam voluptatem, quia tamen ex se ad id ordinatur, remanet cibus. Insuper dato 1. Antecedente, potest negari Conseq.; ex eo enim quòd quis non utatur vino ut potu, non sequitur, quòd utatur ut cibo; sicut ex eo quòd quis non utatur pane ut cibo, non sequitur, quòd eo utatur ut potu. Potus enim & cibus non sunt contraria immediata.

Inst. 2. Qui immoderatè utitur potu validiori in magna quantitate v. gr. cerevisia crassa, aut vino generoso, quamvis formalitèr, & explicitè non intendat uti per modum cibi in fraudem ad extinguendam famem, & ad nutritionem; hoc ipso tamen, quo sensit ex eo in se famem extinguì, & corpus multum nutrirì, de facto fraudat legem; siquè videtur saltem virtualitèr, & implicitè uti tali potu per modum cibi in fraudem: ergo. R. Non ita visum fuisse Doct. Angelico: Si quis, inquit hic Theol. Billuarti. Secunda Secundae.

ad 2. immoderatè potu utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere; sicut, si immoderatè cibum in una comestione assumat. Porro, qui cibum immoderatè sumit in una comestione, non censetur fraudare; neque violare legem jejunii, nisi id formalitèr intendat: ergo neque qui potu immoderatè utitur. Itaque negandum est Antecedens: nemo enim dicitur fraudare legem, qui facit, quòd lex non prohibet, nisi eo animo faciat, ut fraudet legem, sed dicitur uti jure suo. Si dicas, neminem habere jus bibendi immoderatè; fateor vi praeepti Temperantiae; nego vi praeepti jejunii, quia eo non prohibetur: unde peccat contra Temperantiam, sed non contra praeeptum jejunii.

Inst. 3. S. Thom. in 4. cit. ad 3. loquens de electuariis dicit, quòd quis esset transgressor praeepti Ecclesiae, si ea in fraudem sumeret, aut si ita quasi aliis cibis uteretur ad famem extinguendam: ergo juxta S. Th. aliud est sumere electuaria in fraudem, aliud ea sumere per modum cibi ad famem extinguendam: porro non videtur, quomodo non sumpta per modum cibi sumantur in fraudem, nisi quando sumuntur in magna quantitate: eadem autem videtur esse ratio de potu. R. 1. Me jam assignas: se dispartitem inter electuaria, & potum, ita quòd, qui electuaria sumit in magna quantitate, mortalitèr censetur comedere, & sumere in cibum, licet id formalitèr non intendat; secus, de potu. R. 2. Ly, aut non hic sumi in vi copulae disjunctivae, sed apponi majoris explicationis ergo. Sicut, si diceret S. Doct. Si ea in fraudem sumat, ita utendo quasi aliis cibis ad famem extinguendam. Sic, cum dico: si Paulus, qui vendidit equum Petro, ipsum defraudavit, aut equum morbidum pro generoso supposuit, tenetur ad restitutionem: Ly aut non sumitur disjunctivè, sed explicativè, ita ut sensus sit: si Paulus fraudaverit Petrum ipsi supponendo equum morbidum pro generoso, tenetur ad restitutionem. Similitèr in nostro casu. Certum est enim, quòd uti electuaria uti cibo sit modus fraudandi Legem, nec apparet quòd praeter eum sit alius. Et idè S. Doct. in Summa. hic ad 3. utrumque pro uno, & eodem accipit, scilicet agere in fraudem, & sumere electuaria in magna quantitate per modum cibi, dum dicit, quòd is solvit jejunium, qui in fraudem electuaria in magna quantitate assumit per modum cibi: quibus verbis explicat, quòd sumere in fraudem sit sumere per modum cibi; & significat, quòd sumere in magna quantitate praecise non sit sumere in fraudem, nisi sumatur per modum cibi. Ceterum mihi sanè miram est, velle per tot divitacula, & illationes scrutari mentem S. Doct., dum ipse eam formalissimis, & patentissimis terminis prodiit. Audi ergo iterum argumentator, & acquiesce: Jejunium non solvitur, nisi per ea, quae Ecclesia interdicit intendit instituendo jejunium; non autem intendit Ecclesia interdicit sumptionem potus. Hic ad 2. licet: Si quis immoderatè potu utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere, sicut, si immoderatè cibum in una comestione assumat. Ibid. Item: Sumptio potus non dicitur manducatio, & idè ille, qui potat extra horam unice comestionis, non dicitur bis manducare, & propter hoc nec statutum Ecclesiae frangit. In 4. cit. ad 1. Quid vis clarius? Quid expressius?

Obj. 2. Prima Lex jejunii interdicit omnem potum extra horam refectionis: ergo. Prob. Antec. 1. ex jejunio veteris Testamenti, ad eujus instar institutum est jejunium Ecclesiasticum. Esdras jejunans panem non comedit, & aquam non bibit. Esd. 1. c. 10. Jejunium Ninivitarum fuit in abstinentia panis, & aquae: Homines, & jumenta non gustent quidquam, nec pascentur, & aquam non bibant. Jonæ 3. 2. ex testimonio Patrum. S. Greg. Nyssenus in orat. in principio jejunii: Amarum est, inquit, jejunium, sed dulcis paradisi; molesta est sitis, sed propè est fons, ex quo qui biberit, non sitiet in aeternum. S. Fructuosus Episcopus Tarracoen. cum duceretur ad supplicium, oblatum potum recusavit, quia jejunii dies erat, & nondum adverterat hora nona, prohiè refert S. Prudentius hymno 6. Peristephanon, his versibus:

Jejunamus, ait, recuso potum,  
Nondum nona diem resignat hora,  
Nunquam convolvabo jus dicitum,  
Nec mors ipsa meum sacrum resolvet.  
Sylvanus Abbas, ut refert Rufinus libr. 3. de vitis Patrum c. 46. Discipulum sitientem, & aquam bibere volentem prohibuit, eò quòd esset jejunium: ergo.  
Hæc objectio non impedit directè conclusionem nostram, in qua praecise agitur de mente D. Th. Probat autem, si quid probat, errasse S. Th.: sed quia id omninò falsum existimo, idè ad argumentum R. 1. Ipsum nimis proba-